



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

dæ juverit colere sinceros, apertique pe-
 ctoris, execrari loquaculos, & exaggerato-
 res, odisse inflatos, honorisque præcupi-
 dos. Aliud quoque antidotum in pestem
 illam valet, si ambitioni obnoxius non sis,
 amésque modestiam statui congruentem.
 In vanum recidunt laudes blandientis, si
 non afficiant animum audientis.

DECAS V.

41. Loqui malè infirmitatis est: loqui
 bene, virtutis: loqui vera, ingenuitatis:
 opportunè loqui prudentiæ, loqui impor-
 tunè, est stultitiæ: non loqui, ubi loquen-
 dum pusillanimitatis.

42. Per Periphrasin mentitur, qui polli-
 cita sæpius pollicetur: iudicium præbet,
 se nunquam facturum, qui bis dixerit: *ma-
 nè faciam*. Jucundè quidam: per plateam
Deinde venit ad domum *Nunquam*.

43. Silentium merentis laudari est com-
 mendatio per substitutos. Omnium ora
 in sui encomia solvet, qui de seipso nullum
 dixerit: quemadmodum è contrario o-
 mnibus ansam præbet murmurandi, qui
 officium sumit seipsum deprædicandi.

44. Aëre tam corrupto nemo vixerit,
 quàm

quàm unde alitur assentator. Proinde veluti, cum contagio serpit, amuletum pectori appensum gerimus, ita Princeps adversus pestiferam adulationis luem cordi apprimat amorē ingenuæ veritatis, non fucatae apparentiæ.

45. Falsò imponimus virtuti, quasi res foret hac in vita ultra modum ardua, fama plus difficultatis habet. Illa enim in nostra est potestate, hæc in placito alieno; & licet Virtuti laus debita sit, multis tamen parari vult requisitis. Præfigenda enim est occasio operis, capienda ejus notitia, statuendum tempus, ac demum in eunda conspiratio applausûs. Virtus in silentio operatur, neque alio apparatu indiget, quàm corde bono, & fuci experte.

46. Ens confusissimum superbus est; nemo ejus indolem penetrârit; quin & ipse cæco judicio ignarus est sui. Ægrè dixeris aliôsne magis æstimet, an contemnat. Assvetus livori invidet etiam ei, qui minushabet. Plus in eo est, ut imitetur vanitatem alienam, quàm ut curet necessitatem propriam.

47. Non immeritò dubitaveris, an, quod vulgò

vulgò opinamur, aſſentator ſemper quærat commodum ſuum: non enim honorat illum, qui utilior eſt Reipublicæ, ſed qui acceptior eſt Regi. Cæterùm adeò perverſus eſt, ut certis utilitatibus omnium unicam incertam anteponat ſuam.

48. Si ex vero loquimur, ipſum adulationis nomen abominabile eſt, ac penè idem, quod publica prodition: potis enim eſt, mentiendo uni, interitum procurare omnibus. Rex unicus Aſſentatoris dolo inductus ruinam adfert Regno univerſo.

49. Prudens prævidet pericula: timidus fingit: juſtus non metuit: honoratus contemnit: fatuus invenit: temerarius quærit: infelix incurrit.

50. Varius pacis uſus eſt: mites illam poſſident: patientes conſervant: pacifici efficiunt: eâ fruuntur boni: malis ſe fingit; ſimulatur à proditoribus. Veram ac germanam ſolus Deus dederit, quæ hîc incolit animam juſti, ac tandem æternùm perfeverat in cœlo.

DECAS VI.

51. Magnarum opum hæredes filios ſcribere,